

www.e-rara.ch

Omnes quae extant D. Hieronymi Stridonensis lucubrationes

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Basileae, [1536-1538]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: FM1 II 1-6

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62470>

Didymi de spiritu sancto liber secundus, divo Hieronymo interprete

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

S DIDYMI DE SPIRITU SANCTO

LIBER SECVNDVS, DIVO HIERONYMO interprete.

407



VIA igitur spiritus sapientiae & ueritatis inseparabiliter cum filio est, ipse quoque sapientia subsistit & ueritas. Si enim capax esset sapientiae & ueritatis, in id aliquando descenderet ut desineret habere quod aliunde susceperat, id est sapientiam & ueritatem. Et filius sapientia & ueritas, ipse subsistens non separatur a patre, qui solus sapiens & ueritas, scripturarum uocibus praedicatur. Eundem circulum unitatis atque substantiae spiritus sancti, secundum id quod sapientiae & ueritatis est spiritus, uidemus habere cum filio: & rursum filium a patris non discrepare substantia. Cum autem filius imago sit dei inuisibilis, & forma substantiae eius, quicumque ad hanc imaginem uel formam imaginantur atque formantur, adducuntur ad similitudinem dei: iuxta uires tamen humani profectus, istiusmodi formam & imaginem consequentes. Similiter & spiritus sanctus cum sit signaculum dei: hi qui formam & imaginem dei capiunt: signati per eum, in eo ducuntur ad signaculum Christi sapientiae & scientiae & insuper fide plenae. Nam diuisiones operationum sunt, idem autem ipse spiritus qui operatur omnia in omnibus. Operante ergo patre multiplicem charismatum plenitudinem: multiplicat eam filius subsistens per spiritum sanctum. Alii enim per spiritum datur sermo sapientiae. Alii uero scientiae secundum eundem spiritum. Alii fides in eodem spiritu: & cetera quae ab apostolo enumerata sunt dona, quibus additur: Haec autem omnia operatur unus atque idem spiritus: diuidens singulis prout uult. Unde discentes operatricem, & ita dicam distributricem naturam spiritus sancti, non abducatur ab his qui dicunt operationem & non substantiam dei esse spiritum sanctum. Et ex alijs quoque plurimis locis subsistens natura demonstratur spiritus sancti: ut in illo quod apostoli scribunt: Visum est enim spiritui sancto & nobis: quia hoc quod dicitur uisum est, non operationem significat, sed naturam: maxime cum & de domino simile quid reperiatur: ut, Sicut domino uisum est, ita factum est. Denique & sermones eius sapissime lectitantur, ut in illo, Ieiunantibus eis & ministrantibus, id est discipulis Christi, dixit spiritus sanctus, Separate mihi Barnabam & Saulum in opus quod uocaui eos. Quae uox diuinitatis & auctoritatis index, non creatam, sed increatam substantiam, monstrat. Neque enim spiritus sanctus in aliud quoddam opus uocauit Barnabam & Paulum quod non sit patris & filij, cum ministerium quod eis commisit & tradidit spiritus, patris & filij sit ministerium. Ad Galatas Paulus loquitur, Qui enim operatus est Petro in apostolatam circuncisionis, operatus est & mihi in gentes & Barnabae. Pariter enim ad nationes spiritus sancti auctoritate directi sunt. Christo quoque operante in apostolis, spiritus completum est ministerium, ut ipsi apostoli confitentur se in Christo loqui, & id quod suis oculis uiderunt, & ministri facti sunt sermonis, id est Christi, & dispensatores mysteriorum dei. Denique quasi principatum in sacerdotio possidentes, & initiatores fidei a Christo sunt demonstrati, dicente, Euntes ite & docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris & filij & spiritus sancti. Et sicut Apostolus scribit rectissime, Unus est dominus, una fides, unum baptismum. Quis non ex ipsa cogetur ueritate suscipere indifferentiam sanctae trinitatis, dum una sit fides in patre & filio & spiritu sancto, & lauacrum detur atque firmetur in nomine patris & filij & spiritus sancti? Non arbitror quemquam tam uecordem atque insanum futurum, ut perfectum baptismum putet quod datur in nomine patris & filij, sine assumptione spiritus sancti: aut rursus in nomine patris & spiritus sancti, filij uocabulo praetermisso: aut certe in nomine filij & spiritus sancti, non praeposito uocabulo patris. Licet enim quis possit existere saeui, ut ita dicam, cordis & penitus mentis alienae, qui ita baptizare conetur, ut unum de praecipuis nominibus praetermittat, uidelicet contrarius legislator Christi: tamen sine perfectione baptizabit, imò penitus a peccatis liberare non poterit, quos a se baptizatos existimauerit. Ex his colligitur quam indiuisa sit substantia trinitatis, & patrem uere filij esse patrem, & filium uere patris filium, & spiritum sanctum uere patris & dei esse spiritum, & insuper sapientiae & ueritatis, id est filij dei.

Hec

Hæc est salus ergo credentium, & dispensatio ecclesiasticæ disciplinæ in hac trinitate perficitur. Nam cum saluator discipulos suos ad prædicandum euangelium miserit: & ad dogmata ueritatis docenda pater in ecclesia cõstituissè dicatur, primo apostolos, secundo prophetas, tertio magistros: super hac re etiam apostoli congruente sententiâ: Et sicut probati sumus à deo ad credendum euangelium: sic loquimur: non ut hominibus placentes, sed deo qui probauit corda nostra: hos eosdem quos Christus magistros esse præcepit, & pater probauit, & spiritus sanctus dispensatores & præpositos in ecclesia constituissè perhibetur. Si quidem cum Miletum Paulus apostolus presbyteros de diuersis locis & plurimis ecclesijs congregasset: Attendite, inquit, uobis & uniuerso gregi super quos spiritus sanctus posuit uos episcopos ad regendam ecclesiam domini, quam acquisiuit per sanguinem suum. Si enim quos Christus ad euangelizandum & baptizandas nationes misit, spiritus sanctus ecclesiæ præposuit patris sententiâ destinatos, nulli dubium est, unam patris & filij & spiritus sancti operationem & probationem, & consequenter eandem trinitatis esse substantiam. Necnon & illud considerandum, quod in corde & sensu habitare non potest creatura, nisi deus & sermo eius in spiritu sancto, sicut ad quosdam loquitur pater. Inhabitabo in eis, & inambulabo. Et ad ipsum quidam dirigit uocem, Tu autem in sancto habitas laus Israel. Altus quippe in altis habitat uniuersæ conditor creaturæ. Habitat uero & unigenitus filius in mente pura, & corde credentium. Per fidem quippe habitare Christum in interiori homine: in spiritu ait Apostolus, ita scribēs in spiritu, In interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus uestris. Ipse quoque de se loquitur: Viuit in me Christus. Et iterum: Qui in me loquitur Christus. Et saluator, Veniemus, inquit, ego & pater, haud dubium quin ad eum qui præcepta eius seruauerit, & mansionem apud eum faciemus. Porro sic sermo iste contextitur. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Et pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. In alio quoque loco, omnis natura rationalium creaturarum, domus dicitur saluatoris. Sicut autem super domum suam dominus Iesus, cuius domus sumus nos: ita domus Christi templum dei est, in quo spiritus eiusdem inhabitat dei. Scribens quippe Corinthijs Paulus ait: Nescitis quia templum dei estis, & spiritus dei habitat in uobis? Si autem in domo & templo quo pater & saluator inhabitat, ilico inuenitur & spiritus sanctus, ex hoc indiuisa trinitatis substantia demonstratur. Et post non multa eiusdem epistolæ: Nescitis, inquit, quia corpora uestra templum spiritus sancti sunt, quem habetis à deo? Cum ergo spiritus sanctus, similiter ut pater & filius, mentē & interiorē hominē inhabitare doceatur, non dicam ineptum, sed impium est eum dicere creaturam. Disciplinas quippe, uirtutes dico & artes, & his contrarias perturbationes & imperitias & affectus, in animabus habitare possibile est, non tamen ut substantias, sed ut accidentes. Creatam uero naturam in sensu habitare impossibile est. Quod si uerum est, & spiritus sanctus absque ulla ambiguitate subsistens, animæ est habitator & cordis, nulli dubium est, quin cum patre & filio credi debeat increatus. Ex omnibus igitur quæ præcedens sermo differuit, incorruptibilis & sempiternus secundum naturam patris & filij, spiritus sanctus demonstratus, uniuersam de se ambiguitatem abstulit, & suspicionem, ne unus de creatis substantijs existimeretur, is qui spiritus dei sit, quem exire de patre saluatoris in euangelio uerba declarant. Cum uenerit, inquit, consolator quem ego mitto uobis spiritum ueritatis qui à patre egreditur, ipse testimonium dabit de me. Consolator autem uenientem spiritum sanctum dicit, ab operatione ei nomen imponens, quia non solum consolatur eos quos se dignos reperit, & ab omni tristitia & perturbatione reddit alienos, uerum incredibile quoddam gaudium & hilaritatem eis tribuit, intantum ut possit quis deo gratias referens, quod tali hospite dignus habeatur dicere, Dedisti læticiam in corde meo. Sempiterna quippe læticia in eorum corde uersatur, quorum spiritus sanctus habitator est. Iste spiritus sanctus consolator à filio mittitur, non secundum angelorum, aut prophetarum, aut apostolorum ministerium, sed ut mitti decet à sapientiâ & ueritate spiritum dei, indiuisam habentem cum eadem sapientiâ & ueritate naturam. Etenim filius missus à patre non separatur, nec disiungitur ab eo, manens in eo & habens illum in semetipso. Quin spiritus ueritatis supradicto modo missus à filio, de patre egreditur, non aliunde ad alia transmigrans. Impossibile quippe hoc

A hoc pariter & blasphemum est. Si enim hic spiritus ueritatis iuxta naturas corporum certo spacio circumscriptus est, alium deferens locum, ad alium commigrauit. Sed quomodo pater non consistens in loco, ultra omnem corporum est naturam: Ita & spiritus ueritatis nequaquam locorum sine clauditur, cum sit incorporealis, & ut uerius dicam excellens uniuersam rationalem creaturam. Quia ergo impossibile est & impium ista quæ diximus in incorporalibus credere: exire de patre spiritum sanctum, sic intelligendum: ut se saluator de deo exisse testatur, dicens: Ego de deo exiui & ueni. Et sicut loca & commutationes locorum ab incorporalibus separamus: sic & prolationes, intus dico & foris, ab intellectualium natura discernimus: quia istæ corporum sunt recipientium tactum & habentium uastitates. Ineffabili itaq; & sola fide noto sermone credendum est saluatorem dictum esse exisse à deo, & spiritum ueritatis à patre egredi, loquente: Spiritus qui à me egreditur. Et pulchre, qui de patre, inquit, egreditur. Cum enim dicere posset de deo, siue de domino, siue de omnipotente, nihil horum tetigit: sed ait, de patre, non quod pater à deo omnipotente sit alius: quia hoc scelus est etiam cogitare: sed secundum proprietatem & intellectum parentis, egredi ab eo dicitur spiritus ueritatis. Licet enim ex deo frequenter se dicat exisse saluator: proprietatem tamen & (ut ita dicam) familiaritatem, de qua iam sæpe tractauimus, ex uocabulo magis sibi patris assumit, dicens: Ego in patre & pater in me. Et alibi: Ego & pater unum sumus, & multa alia his similia, quæ in euangelio obseruans lector inueniet. Iste ergo spiritus sanctus qui de patre egreditur: testificabitur, inquit dominus, de me, testimonium simile ferens ei patris testimonio, de quo ait: Testimonium dicit de me, qui misit me pater. Mittente autem filio spiritum ueritatis, quem consolatore uocauit, simul mittit & pater. Neq; pater mittente filio non mittit: cum eadem uoluntate patris & filij spiritus ueniat, saluatore quoq; per prophetam loquente, sicut manifestum esse poterit ei qui totum perlegerit locum: Et dominus misit me & spiritus eius: Si quidem non solum filium, sed & spiritum mittit deus. Sed & apostolus loquitur. Quæ nunc annunciata sunt uobis per eos qui euangelizauerunt uobis, spiritu sancto misso de cœlis. Et in libro qui sapientia scribitur, ab his qui diuina charismata consecuti sunt, uox gratias deo perferens destinatur. Quæ autem in cœlis sunt quis inuestigabit? uoluntatem autem tuam, quis cognouit: nisi quod tu dedisti sapientiam & spiritum sanctum tuum misisti de excelsis? Et sic correctæ sunt semitæ eorum, qui super terram erant, & placita tibi edocti sunt homines. Et in præsentis siquidem lectione, non sola sapientia dei, id est unigenitus filius eius datur à patre, sed & spiritus sanctus mittitur. In ipso quoq; euangelio dari prædicatur à patre & mitti spiritus sanctus, saluatore dicente: Et ego rogabo patrem meum & alium paracletum dabit uobis, ut sit uobiscum in æternum, spiritum ueritatis. Et iterum, Paracletus autem spiritus sanctus, quæ mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia. Nam & in his sermonibus, alium paracletum dare dicitur pater, non autem alium ab eo, qui à filio mittitur, secundum illud: Cum autem uenerit ille paracletus, quem mittam uobis à patre, spiritum ueritatis, Quem alium paracletum nominauit, non iuxta naturæ differentiam, sed operationis diuersitatem. Cum enim saluator, mediatoris & legati personam habeat, ex qua pontifex deprecetur pro peccatis nostris, saluans in sempiternum eos, qui per ipsum accesserunt ad deum, quia semper uiuens interpellat pro eis patrem, spiritus sanctus secundum aliam significantiam paracletus ab eo quod consolatur in tristitia positos nuncupatus est. Verum noli ex filij & spiritus sancti operatione diuersa, uarias æstimare naturas. Si quidem in alio loco reperitur paracletus spiritus, legati ad patrem persona fungi, ut in illo, Quid enim oremus iuxta id quod oportet nescimus, sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quomodo secundum deum postulat pro sanctis. Saluator quoq; consolationem à qua spiritus sanctus paracletus nuncupatus est, operatur in cordibus eorum qui ea indigent. Scriptum est enim, Et humiles populi consolatus est. Vnde & is qui hoc beneficium fuerat consecutus, eum prædicans loquebatur. Domine, secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt cor meum, siue dilexerunt animam meam, Vtroq; enim scriptum esse modo, in diuersis exemplaribus inuenitur. Sed & pater, deus omnis consolationis dicitur, consolans eos qui in tribulatione sunt, ut ex ipsis angustiis per patientiam salutem primū,

M dehinc

410
dehinc coronam gloriæ consequantur. Spiritus igitur consolator, & sanctus, & spiritus ueritatis
datur à patre ut semper cum Christi discipulis commoretur: cum quibus & ipse saluator est di-
cens: Ecce enim uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Cum autem semper apostolis
& spiritus sanctus adsit & filius: sequitur ut & pater cum ipsis sit, quia qui recipit filium, recipit &
patrem, & mansionem filius cum patre facit apud eos, qui digni aduentu eius extiterint. Sed &
ubi spiritus sanctus fuerit, statim inuenitur & filius. Siquidem cum in prophetis spiritus sanctus
sit, faciens eos futura præcinere, & alia quæ prophetalis operationis sunt, sermo dei ad eos dici-
tur factus, ut ad id quod ad consuetudinem prophetarum est, hæc dicit dominus, etiam illud ad-
datur: sermo qui factus est ad Esaïam, siue ad reliquos. Quod autem propheta spiritum sanctum
habuerint, deo manifeste loquente cognoscimus. Ait enim: Quaecumque mandauit in spiritu meo
seruis meis prophetis. Et saluator in euangelio significat iustos uiros, & eos qui ante aduentum
suum, populo uentura cecinerant, spiritus sancti aspiratione completos. Interrogans quippe pha-
risæos quid eis de Christo uideretur, & audiens quia esset filius Dauid, loquitur: Quomodo Da-
uid in spiritu uocat eum dominum dicens, Dixit dominus domino meo sede à dextris meis? Si
ergo Dauid uocat eum in spiritu sancto dominum, quomodo filius eius est? Et Petrus ad con-
sortes fidei loquitur. Oportebat impleri scripturam quam prædixit spiritus sanctus per os Da-
uid de Iuda &c. Et in eodem rursus libro. Qui per spiritum, inquit, sanctum ore Dauid pue-
ri tui locutus es: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Esaïas quoque cum
sermone dei impulsus ad prophetandum fuisset, spiritus sancti imperio prophetasse perhibe-
tur, ut in fine eorundem actuum scribitur. Bene spiritus sanctus locutus est per Esaïam prophe-
tam ad patres uestros, dicens: Vade ad populum istum, & dic: Aure audietis: & reliqua. Hanc
igitur prophetiam quam apostolus Paulus affirmat à spiritu sancto pronūciatam, ipse liber pro-
pheta à domino dictam esse commemorat. Et audiui, inquit, Esaïas, uocem domini dicentem:
Quem mittam, & quis ibit ad populum istum? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Vade, inquit, & dic
populo huic: Aure audietis. Et post alia ipse dominus ait: Et conuertentur & sanabo illos. Et sta-
tim propheta: Quousque domine? cum enim dominus ad prophetam dixisset: ut ea quæ scripta
sunt diceret, & propheta iubenti domino respondisset, usque quo domine, ea quæ in propheta à
domino dicta sunt, in spiritu sancto commemorata Paulus affirmat. Ex quo liquido ostēditur,
ut sæpe iam diximus, unam & uoluntatem & naturam domini esse & spiritus sancti, & in nuncu-
patione spiritus, etiam nomen domini intelligi. Quomodo enim ad Corinthios uocabulum dei
super patre positum, & domini super filio, neque patri aufert dominationem, neque filio deitatem:
sic quidem eadem ratione qua pater dominus est & filius deus est, sic & spiritus sanctus domi-
nus nuncupatur. Si autem dominus, consequenter & deus, ut paulo ante iam diximus, cum uo-
cem apostoli Petri ad Ananiam, qui pecuniam subtraxerat poneremus, quia & deitas superin-
telligitur in spiritu sancto. Verum quoniam inde quæstionis ordo deductus est, cum autem ue-
nerit paracletus spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia: Age
nunc ex ipso sermone quæramus, si quid in eo possimus inuenire cum his consentire quæ dicta
sunt. Spiritum sanctum à patre in suo mitti nomine, saluator affirmat: cum proprie saluatoris no-
men sit filius: si quidem naturæ confortium, & ut ita dicam proprietatis personarum ex ista uoce
signatur. In qua appellatione filij, missus à patre spiritus sanctus, non seruus, non alienus, nec dis-
iunctus à filio intelligatur. Et quomodo filius in patris appellatione uenit, dicens: ego ueni in no-
mine patris mei, filij quippe tantummodo est in nomine patris uenire, salua proprietate filij ad
patrem, & patris ad filium, sic e contrario, nullus alius uenit in nomine patris: sed uerbi gratia, in
domini & dei & omnipotentis. Quod manifestius aduertere poteris prophetas relegens ex ani-
mo. Nam & Moyse magnus dei minister & famulus, in nomine eius, qui est, & in nomine dei
Abraham & Isaac & Iacob uenit, deo ad eum loquente: sic dices filijs Israel, qui est misit me ad
uos. Et rursus, dices eis, Deus Abraham, Isaac & Iacob misit me ad uos. Seruorum quippe iusto-
rum quales erant de quibus dixit, mandabo in spiritu meo seruis meis prophetis, in nomine dei
facta est missio. Et quia dignos se exhibuerunt deo, in nomine dei uenisse referuntur. Rursus pro-
ficiētes in maius, & sub unius dei imperio consistentes, in omnipotentis dei nuncupatione ue-
nerunt

nerunt. Quia uero filij Israel in Aegypto commorantes didicerunt eos qui non sunt quasi deos colere, & mundi partes diuino honore uenerari: cōsequens fuit, ut Moyses sub eius qui est uocabulo ad eos mitteret: & à falsis eos liberās dñs, ad uerā transduceret deitatē, & ad dominū patrū Abrahā, Isaac, & Iacob. Quomodo ergo serui q̄ in nomine domini ueniūt per hoc ipsum quod subiecti sunt & seruiūt indicant dominū, proprietatem eius referentes, serui quippe sunt domini: sic & filius qui uenit in nomine patris, proprietatē patris portat & nomen, & per hāc unigenitus dei filius approbat. Quia ergo spiritus sanctus in nomine filij à patre mittit, habēs filij proprietatem secundū quod deus est, nō tamen filietatē ut filius eius sit, ostēdit quia unice sit iunctus ad filiū. Vnde & filij dictus est spiritus, per adoptionē faciēs filios eos, qui recipere uoluissent. Quia enim, inquit, estis filij dei, misit pater spiritū filij sui in corda nostra, clamantē abba pater. Iste autem spiritus sanctus, qui uenit in nomine filij missus à patre: docebit omnia eos qui in fide Christi perfecti sunt. Omnia autē illa quae spiritalia sunt & intellectualia: (ut breuiter uniuersa concludam) omnia ueritatis & sapientiā sacramēta. Docebit uero nō quasi doctor & magister disciplinā quā aliunde est cōsecutus. Siquidē hoc eorum est, qui sapientiā & artes aliquas studio industriae didicere: sed quasi ipsa ars atq; doctrina & sapiētia ueritatisq; spiritus, inuisibiliter menti insinuat scientiā diuinorum. Nam & pater docet sic discipulos suos: dicēte illo qui ab eo doctus fuerat, deus docuisti me sapientiā, & audacter alio conclamante, Docuisti me deus à iuuentute mea, atq; ita omnes fiunt docti. Dei quoque filius & sapientia dei & ueritas sic docet participes suos, ut disciplinam non arte doceat, sed natura. Vnde & eū docentur solum magistrū uocare discipuli. Has easdē disciplinas quae dantur à patre & filio in corda credentiū, spiritus sanctus ministrat his qui animales esse desierint. Animalis quippe homo nō percipit ea quae spiritus sunt, arbitrans esse stultiā quae dicuntur. Qui uero à perturbationibus purgauerit mentē suam spiritus sancti disciplinis, id est, sermonibus sapientiā, scientiāq; cōplebitur, intantū ut is qui ea suscepit dicat, Nobis autē reuelauit deus per spiritū sanctum. Deus autē his qui se ita praeprauerint spiritū sapientiā reuelationisq; largitur ad cognoscendū semetipsum, qui accipientes spiritū sapientiā, nō aliunde, sed ab ipso spiritu sancto efficiunt sapientes, & ab ipso intelligūt dominum & quicquid dei est uoluntatis, & eundē ipsum spiritū ipso reuelante cognoscūt, ut sciāt quia à domino donata sunt eis, ita ut is qui fuerit spiritum reuelationis & sapiētiae cōsecutus, sufficiens sit ueritatis dogmata praedicare, non humana, sed dei arte subnixus, sicut & unum ex his apostolum possumus audire dicentem, Et praedicatio mea & sermo meus nō in persuasionibus humanae sapientiā uerbis, sed in ostensione spiritus & uirtutis dei. Aequalē uero spiritui uirtutē non possumus aliam praeter Christū dominū nostrū interpretari. Ipse enim discipulis ait, Accipietis enim uirtutē spiritus sancti uenientem super uos. Et ad Mariam angelus, spiritus, inquit, sanctus super ueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Creatrix igit uirtus altissimi spiritu sancto superueniente in uirginē Mariam Christi corpus fabricauit, quo ille usus templo, sine uiri natus est semine. Ex quibus ostenditur esse spiritum sanctum creatorem, ut iam in dogmatū uolumine breuiter ostendimus. Et in psalmo ad dominum dicitur, Auferes ab eis spiritum tuū & deficient, & in terrā suam reuertentur. Emitte spiritum tuū & creabuntur, & renouabis faciē terrae. Nec mirū si dominici tantum corporis spiritus sanctus cōditor sit, cū patri filioq; sociatus, eadē potestate creauerit omnia quae pater creauit & filius. Emitte enim, ait, spiritū tuum & creabunt. Porro iā frequenter ostendimus eiusdem operationis esse spiritum sanctū cuius est pater & filius, & in eadem operatione unā esse substantiā, & reciproce eorū quae *ὁμοούσια* sunt, operationem quoq; non esse diuersam. Vt autē & aliud testimoniū quod nos possit adiuuare in fide spiritus sancti ponamus, in euangelio ita sermo contexitur, Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis ea portare modo. Cum autē uenerit ille spiritus ueritatis, diriget uos in omnem ueritatē, Neq; enim loquetur à semetipso, sed quaecūq; audiet loquetur, & quae uentura sunt annuntiabit uobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit uobis. Omnia quae habet pater, mea sunt. Propterea dixi uobis, quia de meo accipiet & annuntiabit uobis. Ex his enim sacramentorū uerbis edocemur, quod cū multa docuisset discipulos suos Iesus dixerit, adhuc habeo plurima dicere uobis: quia uerbum istud, adhuc multa habeo dicere uobis, nō ad nouos quoslibet & penitus

dei gratia tunc uos dirigitur, sed ad eos qui auditores uerborum eius, necdum fuerant omnia cōse-
cuti. Quæcunq; enim sufficere poterant tradens eis, in futurū tempus reliqua distulit, quæ sine di-
sciplina spiritus sancti sciri nō poterant, quia ante aduentum dominicæ passionis non erat datus
hominibus spiritus sanctus, euangelista dicente. Non enim erat cuiquam spiritus datus, quia Ie-
sus necdum erat glorificatus. Glorificari dicēs Iesum, mortē gustare pro cunctis. Itaq; post resur-
rectionem apparēs discipulis suis & insufflans in faciem eorum, accipite, inquit, spiritū sanctum.
Et rursum: Accipietis uirtutē spiritus sancti uenientis super uos. Quo ueniēte in corda credentiū,
implentur sermonibus sapientiæ & scientiæ: & sic spirituales effecti, suscipiunt spiritus sancti disci-
plinam, quæ possit eos deducere in omnem ueritatem. Necdum enim instante hora, in qua oportebat
eos spiritu sancto repleti, tunc quando dixit ad eos, adhuc multa habeo uobis dicere: cōse-
quenter addidit, sed nō potestis ea portare modo. Adhuc enim typo legis & umbræ & imaginibus
seruientes: nō poterant ueritatē, cuius umbram lex portabat inspicere: unde ne spiritualia su-
stinere. Cum aut, ait, uenerit ille, hoc est paracletus spiritus ueritatis, diriget uos in omnem uerita-
tem: sua doctrina & institutione uos transferens à morte literæ ad spiritū uiuificantē, in quo so-
lo omnis scripturæ ueritas posita est. Ipse ergo spiritus ueritatis ingrediens purā & simplicē men-
tem, signabit in uobis scientiā ueritatis: & semper noua ueteribus adiungens, diriget uos in om-
nem ueritatem. Ad deum quoq; patrē quidam allegans preces loquitur: Dirige me in ueritate
tua, hoc est, in unigenito tuo: propria uoce testante, ego sum ueritas. Quam perfectionē tribuit
deus mittens spiritum ueritatis, qui credentes in totam dirigat ueritatem. Dehinc in consequen-
tibus de spiritu ueritatis, qui à patre mittat, & sit paracletus, saluator qui & ueritas, ait: Nō enim
loquetur à semetipso, hoc est, non sine me, & sine meo & patris arbitrio, quia inseparabilis à mea
& patris est uoluntate, Quia non ex se est, sed ex patre & me est, hoc enim ipsum quod subsistit
& loquitur, à patre & me illi est: Ego ueritatem loquor: id est, inspiro quæ loquitur. Siquidem spi-
ritus ueritatis est. Dicere autē & loqui in trinitate, non secundum consuetudinem nostram qua
ad nos inuicem sermocinamur & loquimur accipiendum, sed iuxta formam incorporalium na-
turarum, & maxime trinitatis quæ uolūtatem suam inserit in corde credentiū: & eorum qui eam
audire sunt digni: hoc est, dicere & loqui. Nos quippe homines quando de aliqua re ad alterum
loquimur, primum quod uolumus, mēte concipimus absq; sermone. Inde in alterius sensum uo-
lentes transferre, linguæ organum commouemus, & quasi quoddā plectrum chordis dentium
collidentes, uocalem sonum emittimus. Quomodo igitur nos linguam quā palato dentibusq;
collicimus, & ictum aerē in diuersa temperamus eloquia, ut nobis nota cōmunicemus in alios:
ita & auditorem necesse est patulas præbere aures, & nullo uitio coarctatas, in ea quæ dicuntur
erigere: ut possit ita scire quæ proferuntur, quomodo nouit ea ille qui loquitur. Porro deus sim-
plex & incompressibilis spiritualisq; naturæ, neq; aures, neq; organa, quibus uox emittitur habet,
sed solitaria incomprehensibilisq; substantia nullis membris partibusq; componitur. Quæ qui-
dem de filio & de spiritu sancto similiter accipienda. Si quando ergo legimus in scripturis: Dixit
dominus domino meo. Et alibi: Dixit deus, fiat lux, & si qua his similia, digna deo accipere debe-
mus. Neq; enim ignorante filio qui sapientia & ueritas est, pater suam nunciat uoluntatem: cum
omne quod loquitur, sapiens uerusq; subsistens, in sapientia habeat & in substantia. Loqui ergo
patrem & audire filium: uel e contrario, filio loquente audire patrem, eiusdem naturæ in patre &
filio consensusq; significatio est. Spiritus quoq; sanctus, qui est spiritus ueritatis, spiritusq; sapi-
entiæ, non potest filio loquente audire quæ nescit: cū hoc ipsum sit quod profertur à filio, id est,
procedens à ueritate, consolator manans de consolatore, deus de deo spiritus ueritatis proce-
dens. Denique ne quis illum à patris & filij uoluntate & societate discerneret, scriptum est: Non
enim à semetipso loquetur: sed sicut audiet loquetur. Cui etiā simile de seipso saluator ait: Sicut
audio & iudico. Et alibi: Non potest filius facere quicquam, nisi quod uiderit patrem facientem.
Si enim unus est patri filius, non iuxta Sabellij dictum, patrem & filium confundentis, sed iuxta
indiscretionē essentiæ siue substantiæ, nō potest quicquam absque patre facere, quia separato-
rum diuersa sunt opera, sed uidens operantem patrem & ipse operatur, non secundo gradu, &
post illum operans. Alia quippe patris, alia filij opera esse inciperent, si non æqualiter fierēt. Scri-
ptum

A ptum est autem: Quæ enim ille facit: haud dubium quin pater: hæc eadem filius similiter facit. Quod si operante patre & filio, non iuxta ordinem, primi & secundi, sed iuxta idē tempus operandi eadem & indissimilia subsistunt uniuersa quæ fiunt, & filius non potest à semetipso quicquid facere, quia à patre nō potest separari: sic & spiritus sanctus nequaquā separatus à filio, propter uoluntatis naturæque consortium non à semetipso creditur loqui, sed iuxta uerbum & ueritatem dei loquitur uniuersa quæ loquitur. Hanc opinionem sequentia domini uerba confirmant, dicens: Ille me clarificabit, id est paracletus, quia de meo accipiet. Rursum hic, accipere, ut diuinæ naturæ conueniat intelligendum. Quomodo ergo filius dans, non priuatur his quæ tribuit, neque cū damno suo impertit alijs, sic & spiritus non accipit quod ante non habuit. Si enim quod prius nō habebat accepit, trās lato in alium munere, uacuis largitor effectus est, cessans habere quod tribuit. Quomodo igitur supra de naturis incorporalibus disputantes intelleximus, sic & nunc spiritum sanctū à filio accipere, id quod suæ naturæ fuerat cognoscendum est: & nō dantem & accipientem, sed unam significare substantiam. Siquidem & filius eadem à patre accipere dicitur, quibus ipse subsistit. Neque enim quid aliud est filius, exceptis his quæ ei dantur à patre, neque alia substantia est spiritus sancti præter id quod datur ei à filio. Propterea autem ista dicuntur, ut eandem in trinitate credamus esse naturam spiritus sancti quæ est patris & filij. Quia ergo omnis humana uox nihil potest aliud iudicare quàm corpora, & trinitas, de qua nunc nobis sermo est, omnes materiales substantias superat, ideo nullum uerbum potest ei proprie coaptari, & eius significare substantiam, sed omne quod loquimur *καταχρησικώς*, id est abusiue est, & de incorporalibus cunctis, & maxime cum de trinitate loquimur. Glorificat itaque filiū spiritus sanctus, ostendens illum & in apertum proferens his qui mundo corde eum intelligere & uidere sunt digni, & splendorem substantiæ & imaginem inuisibilis dei scire. Rursum imago ipsa ostendens se puris mentibus glorificat patrem, insinuans eum nescientibus, ipse enim ait, Qui uidet me, uidet & patrem. Pater quoque reuelans filium his qui ad calcem scientiæ peruenire meruerunt, glorificat unigenitum suum, ostendens eis magnificentiam atque uirtutem. Sed & ipse filius tribuens spiritum sanctum his qui se dignos eius munere præparauerunt, & pandens proprietatē glorificationis & magnitudinis eius uirtutem: glorificat illum. Deinde interpretationem inferens quomodo dixisset, de meo accipiet, protinus subiicit: Omnia quæ habet pater mea sunt, propterea dixi, de meo accipiet & annuntiabit uobis, quodammodo loquens: Licet à patre procedat spiritus ueritatis, & det illis deus spiritum sanctū petentibus se, tamen quia omnia quæ habet pater mea sunt, & ipse spiritus patris meus est, & de meo accipiet. Caue aut cum ista dicuntur, ne graue labaris intelligentiæ in uitium, & putes rem aliquā esse & possessionē quæ à patre habeatur ac filio: Verum quæ habet pater iuxta substantiam: id est, æternitatem, immutabilitatē, incorruptionem, immutabilem bonitatem, de se & in se subsistentem: hæc eadem habet & filius. Et quæcunque sunt filij, hæc eadem & pater habet. Procul hinc absint dialecticorum tendiculæ, & sophismata à ueritate pellantur, quæ occasionem impietatis ex pia prædicatione capientia, dicunt, Ergo & pater est filius, & filius pater. Si enim dixisset, omnia quæcunque habet deus, mea sunt, haberet impietas occasionē confingendi, & uerisimile uideretur esse mendacium. Cum uero dixerit, omnia quæ habet pater mea sunt, patris nomine se filium declarauit, paternitatem qui filius erat, nō usurpauit, quanquam & ipse per adoptionis gratiā, multorum sanctorū sit pater, secundū illud quod in psalmis legitur, Si custodierint filij tui. Et iterū, Si dereliquerint filij eius legem meā. Sed in hoc sermone sensuque præposito, consequenter ea quæ diximus superius patris esse, habet & filius, & quæ filij sunt, habet & spiritus sanctus. Ait quippe, de meo accipiet, propterea & uentura annuntiabit uobis. Per spiritum siquidem ueritatis, sanctis uiris futurorum scientia certa conceditur. Vnde & propheta hoc eodem repleti spiritu, prænunciabant sensu, & quasi præsentia intuebantur, quæ erant deinceps secutura. Satis hæc abundeque iuxta ingenij nostri paupertatem de præsentis euangelij capitulo dixisse sufficiat. Si quibus autem dominus reuelauerit, & in uiciniam ueritatis adducti sunt, magisque possunt cernere ueritatem, disputationi illorum cōcedamus meliora quibus ille suffragatur, qui est spiritus ueritatis, & petimus eos qui lecturi sunt ut ignorent imperitiæ, studioque dent ueniam, cupienti totum deo offerre quod potuit, licet suam non

quiuerit implere uoluntatem. Proponamus & apostoli ad Romanos epistolæ testimonium, & quæq; nobis in illa uidentur præsentī materiæ congruere, uentilemus. Vt iustificatio, inquit legis impleatur in uobis, qui non iuxta carnem ambulatis, sed secundum spiritum. Qui enim iuxta carnem sunt, ea quæ carnis sunt sapiunt. Qui uero iuxta spiritum, ea quæ spiritus sunt sentiunt. Sapientia quippe carnis mors est. Sapientia autē spiritus, uita & pax, quoniam sapiētia carnis inimica est deo, legi quippe dei non subiicitur. Neque enim potest. Qui uero in carne sunt, deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus dei habitet in uobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic nō est eius. Si autem Christus est in uobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus uero uiuit propter iusticiam. Si autem spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in uobis, qui suscitauit Iesum Christū à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra propter inhabitantem spiritum eius in uobis. Ergo debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uiueritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Quicumq; enim spiritu dei aguntur, hi filij sunt dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus abba pater. Ipse enim spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quia sumus filij dei. Si autem filij, & hæredes. Hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur. In præsentī apostoli capitulo, plurima de societate spiritus, quam habet cum patre & filio demonstrantur, Ait quippe Apostolus, iustificationem diuinam & spiritualis legis expleri in his, non qui iuxta carnem ambulant, sed iuxta spiritum. Iuxta carnem ambulantes eum qui per uoluptates & uitia carnis corpori copulatus, facit omnia quæ carnis sunt & corporis opera, apostolicus sermo descripsit. Porro iuxta spiritum ambulantes eum, qui in præceptis legis dei & euangelij gradiens, spiritualium sequitur ordinem mandatorum. Siquidem sicut carnalium uitium est ea sapere quæ carnis sunt, ea cogitare quæ corporum: sic ecōtrario spiritualium uirtus est, semper cogitare de cœlestibus & æternis, & his tractare quæ spiritus sunt. Sed carnis sapientia ilico morte sibi sociata, interficit eos qui iuxta carnem gradiuntur & sapiunt: sapientia uero spiritus, mentis tranquillitatem & pacem & uitam habentibus se largitur æternam. Quam cum possederint, omnes perturbationes & genera uitiorum, & ipsos quoque dæmones qui hæc suggerere nituntur habebunt sub pedibus suis. Sapientia ergo carnis cum morti iuncta sit, inimica est deo. Inimicos quippe eos reddit qui suis legibus uixerint, contraria semper & repugnans uoluntati & legi dei. Neque enim fieri potest, ut qui in sapientia carnis est, dei præcepta custodiat & uoluntati eius subiiciatur. Quamdiu seruimus uoluptatibus, seruire deo non possumus. Cum autem titillantem subiecerimus nostris pedibus luxuriam, & totos nos ad spiritum transferentes, nequaquam fuerimus in carne, id est, in carnis passionibus, tunc subiiciemur deo. Neque enim de carne hac in qua uiuimus, & in cuius uasculo nostra anima continetur, apostoli sermo est: quia omnes sancti corpore & carne circumdati placuerunt deo: sed ad id potius quod contra dei præceptum ex humana societate perpetratur, de quibus est: Diliges dominum deum tuum. Et, quod tibi non uis fieri &c. Vos autē, ait, haud dubium quin discipuli Christi, qui sapientiam spiritus suscepistis & uitam pacis, non estis in carne, id est, in carnis operibus, neq; eius opera perpetratis, siquidem spiritum dei habetis in uobis. Idem autem spiritus dei & spiritus Christi est, deducens & copulans eum qui in se habuerit domino Iesu Christo. Vnde & in consequentibus scribitur. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Rursum in præsentī discimus societatem quam habet spiritus sanctus ad deum & ad Christum. Sed & in epistola Petri, spiritus sanctus esse Christi spiritus comprobatur. Scrutantes, inquit, & inquirentes, id est prophetæ, de quibus ei fuerat sermo superior, in quo ait, quale tempus significabat is qui in eis erat spiritus Christi: testificās in Christo passionēs & ea quæ post erant secutura decreta, in quibus reuelatum est, quia non sibi, sed nobis ministrabunt ea quæ nūc annūciata sunt uobis per spiritū sanctū: Iste autē spiritus sanctus dictus est spiritus dei, nō in præsentī tantū sermone, sed & in alijs locis cōpluribus, ut ibi: Ea quæ dei sunt, nemo nouit nisi spiritus dei. Deinde sequitur post hoc quod ait: Si quis autem spiritum dei non habet, hic non est eius: & infertur: Si autem Christus in uobis, & manifestissime demonstratur insepar-

A inseparabilem esse spiritum sanctum à Christo: quia ubicunq; spiritus sanctus fuerit, ibi & Christus est: & undecunq; Christi spiritus discesserit, inde pariter recedit & Christus. Si quis enim spiritum Christi non habet, hic non est eius. Cui coniuncto si quis contrarium assumat, dicere potest: Si quis Christi est, ita ut Christus in eo sit, in hoc spiritus dei est. Hoc autem idem & de deo patre similiter usurpandum. Si quis spiritum dei non habet, iste non est eius. Cui rursus contrariū si quis assumat, dicens: Si quis dei est, in hoc spiritus dei est. Vnde scribitur: Nescitis quia templum dei estis, & in uobis habitat spiritus dei: Et in Ioannis epistola: In hoc cognoscitur deus habitans in quibusdam: cum manserit in eis spiritus quem dedit. Ex quibus omnibus indissolubilis atq; indiscreta trinitatis substantia demonstratur. Cum ergo ait: Si Christus in uobis est, corpus quidem mortuum propter peccatum, nequaquam uitæ lasciuiæq; deseruiens, sed mortificatum peccato non commouetur ad uitia: & nequaquam erit uitale peccato. Postquam autem corpus peccato mortuum fuerit: Christus in his qui sua corpora mortificauerunt, præsens spiritum uitæ ostendit per iusticiam, siue correctionem operum uirtutum immortalium: siue fidem Iesu Christi, in his qui iuxta fidem illius conuersantur. Deinde apostolus alio syllogismo coniuncto utitur: quod significantius dialectici *ἀξιώματα* uocant, & ait: Si autem spiritus eius qui suscitauit Christum à mortuis habitat in uobis: qui suscitauit Christum à mortuis uiuificabit & mortalia corpora uestra per inhabitantem spiritum suum in uobis: Nonne tibi uidetur dicere, quia si spiritus eius qui suscitauit Christum Iesum, id est, qui eiusdem Iesu Christi spiritus est habitat in uobis, consequenter uiuificabuntur & mortalia corpora uestra cum immortalium animabus ab eo qui suscitauit Christum Iesum à mortuis principem & primogenitum resurrectionis: Et quibus tale tantumq; diuinitus per spiritum munus indultum est, debitores sumus spiritui non carni, ut iuxta eam uiuamus. Siquidem qui iuxta carnem uixerit, morietur illa morte quæ peccatum sequitur. Peccatum quippe cum consummatum fuerit, generat mortem, secundum Iacobum. Sed & Ezechiel peccantem animam mori scribit. Separatur enim iam à uita quæ in sapientia spiritus collocata est. Si quis autem transcederit uitam carnis, & spiritu opera carnis mortificauerit: uiuet beata æternaq; uita, relatus in filios dei & directus in uiam rectam, propter spiritum sanctum, qui & dei spiritus appellatur. Si enim, inquit, iuxta carnem uixeritis, moriemini. Quod si spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Et in consequentibus: Quotquot enim spiritu dei aguntur hi filij sunt dei. Rursus refocillans eos, & consolans & prouocans sperare meliora, quibus loquebatur, ait: Non enim accepistis iterum spiritum seruitutis in timore, id est, non si militudine seruorum, metu & terrore poenarum uos abstinere à uitis, quia habetis uobis datum à patre spiritum adoptionis: id est, spiritum sanctum, qui ipse spiritus & dei & Christi & ueritatis dicitur atq; sapientiæ. Si autem spiritus iste adoptat in filios dei eos quorum dignatione sui habitator efficitur, tibi consequentium super potentia eius intelligentiam derelinquo. Porro in hoc adoptionis spiritu clamant qui habuerint illum patrem deum, sicut ostendit sermo dicens: In quo clamamus abba pater, ipso spiritu qui nos adoptat in filios, testimonium præbente participatione sui, quod à nostro spiritu possidetur, quia filij dei sumus. Cui consequens est deum quidem quasi patrem, hæreditarias nobis diuitias contulisse, spiritualia dona: Christi uero cohæredes nos esse, eo quod fratres eius per gratiam & benignitatem ipsius appellamur. Erimus autem hæredes dei, cohæredes autem Christi, si compatiamur, ut & conglorificari ei ex passionum societate mereamur. Verum quia & hoc iuxta id quod potuimus edisertum est, proponamus prophetæ capitulum, quædam de spiritu sancto continens, ut non solum de nouo, uerumetiam de ueteri testamento super eius fide intellectuq; doceamur. Nam & superius prælocuti sumus, in omnibus sanctis, tam his qui post aduentum domini nostri fuerunt, quam etiam retro, in patriarchis uidelicet & prophetis, spiritus sancti gratiam fuisse uersatam, & eos diuersis charismatibus uirtutibusq; complexisse. Quomodo enim unius dei & unigeniti eius gratiam possidentes, tam hi qui ante, quam etiam illi qui post aduentum eius iusticiæ erexere uexillum, ueritatis sunt scientiam consecuti: sic & spiritus sancti gratiam possidebant, quia inseparabilem à patre & filio esse spiritum sanctum, in multis supra locis ostendimus. Scriptum est ergo in propheta: Misericordiam domini recordatus sum, & uirtutis eius, in omnibus quæ retribuit nobis dominus: iudex

bonus domui Israel, inferens nobis iuxta misericordiam suam, & iuxta multitudinem iusticiæ suæ. Et dixit: Non populus meus filij, & non præuaricabuntur. Et factus est illis in salutem ex omni tribulatione eorum, non legatus, neque angelus, sed ipse saluauit eos, eo quod dilexerit eos, & perpercerit eis. Ipse redemit eos & suscepit eos, & exaltauit eos in omnibus diebus seculi. Ipsi uero non crediderunt & irritauerunt spiritum sanctum eius, & conuersus est eis ad inimicitiam. Ipse debellauit eos, & recordatus est dierum antiquorum. Qui eduxit de terra pastorem ouium, qui posuit in eis spiritum sanctum, congregans dextera Moysen. Qui frequenter dei adepti sunt beneficia, scientes gratia magis & misericordia eius quam proprijs ex se fuisse operibus consecutos, quasi uno omnes consensu & animo concordantes loquuntur, misericordiam domini recordatus sum. Cogitantes enim quæ ab eo frequenter in Moyse dona susceperint, gratias referunt, & cum misericordia, etiam uirtutum domini recordantur, siue mirabilium quæ crebro pro eis fecit in populis, siue profectuum animæ, quibus per legem & prophetas & præcepta eius salubria eruditi sunt. Siquidem in scripturis nomen uirtutis utrumque significat. Recordari autem se misericordiam & uirtutum eius, inquiunt, in omnibus quæ retribuit eis, non iuxta iusticiam suam, sed iuxta misericordiam & bonitatem eius, qui est iudex domui uidenti, & sensui mundo corde cernenti dominum. Hoc siquidem ex Hebræo sermone in lingua nostra interpretatur Israel, id est, mens uidens dominum. Licet enim tormenta & cruciatus iudex nonnunquam inferat iudicium merentibus, tamen qui causas rerum altius intuetur, uidens propositum bonitatis eius, qui cupit corrigere peccantem, bonum illum confitetur, dicens: Inferat nobis iuxta misericordiam suam. Si enim iniquitates eorum quos iudicat attendat dominus, quis sustinebit? Porro quia apud dominum propiciatio est: dominus uidelicet noster atque saluator, infert nobis secundum misericordiam suam omnia quæ nos prouehant ad salutem. Inferens quoque iuxta misericordiam suam, & hoc faciens in iudicio, cum iusticia nobis tribuit, quæ admixta misericordiam bonitate largitus est.

✠ DIDYMI DE SPIRITV SANCTO

LIBER TERTIVS, INTERPRETE
diuo Hieronymo.



ARGVENDVS est ex præsentī capitulo hæreticorū error, qui bonitatē à iusticia separantes, aliū deū bonū, aliū iustū finxerunt. Ecce enim in præsentiarū ipse est deus & bonus & iudex, & iuxta misericordiā suam iusticiamque restituens: & pariter bonus iustusque subsistens. Frustra igitur iniquū dogma simulantes, bonum deum euangelij, & ueteris testamenti iustum esse defendunt: quia & in plurimis alijs locis & nūc in prophetæ sermone, iudex bonus scribitur deus, & e contrario quod nolunt in Pauli apostoli epistola (qui certe noui testamenti prædicator est) deus iustus iudex refertur. Reposita est mihi, inquit, corona iusticiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Idem est ergo licet nolint, noui & ueteris testamenti deus, uisibilium & inuisibilium conditor, saluatore etiam in euangelio iustum & bonum patrem liquido attestante: Pater iuste, mundus te non cognouit. Et alio loco, Nemo bonus nisi unus deus. Sed & in ueteri lege alibi iustus, alibi bonus dicitur deus. In psalmis, Iustus dominus, inquit, & iusticias dilexit. Et e contrario in Hieremia, Bonus dominus his qui sustinent eum. Rursus in psalmis, Quam bonus deus Israel, his qui recto sunt corde. Et hæc quidem è latere contra hæreticos strictim dicta sunt. Tempus autem est, ut propositum prophetæ ordinem prosequamur, qui ita contextitur, Et dixit, haud dubium quin dominus, Nonne populus meus filij, nec præuaricabuntur? Non erant, inquit, similes his qui generati sunt & exaltati sunt, & eum qui genuit illos, despexere. Et factus est eis in salutem, id est, illis de quibus dominus ait, Nonne populus meus filij & non præuaricabuntur. Hoc enim ipsum quod non præuaricati sunt, nec sp̄euerunt patrem, eis factus